Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Idem ps. lxxv. Vovete et reddite domino deo vestro.
omnes qui in circuitu eius affertis munera.
Salomon in prover. ca. ij. Ruyna est homini devovere
sanctos et post vota tractare.
Idem in Ecclesiastico. ca. vij. Si quid vovisti deo ne mo-
reris reddere. Displicet enim ei infidelis et stulta
promissio. Sed quodcumque voveris redde. Multo
enim melius est non vovere quam post votum non
reddere.
Isidorus in sinonomia soliloquiorum libro ij. ca. xxxvj.
In turpi voto muta decretum. Quod incaute
vovisti non facias. Impia est promissio que sce-
lere adimpletur.

De iuramenti religione. ca. xvij.

In levitico. ca. xviij. Non iurabis in nomine meo
nec pollues nomen domini dei.
Ihesus filius Sirach in Ecclesiastico. ca. xxiij. Iurationi
non assuescat os tuum. Multi enim casus in illa.
Vir multum iurans replebitur iniquitate.
Matheus in Evangelio. ca. v. Noli iurare omnino neque per
celum quia tronus dei est, neque per terram quia sca-
bellum est pedis eius, neque per Ierosolimam, quia
civitas est magni regis, neque per caput tuum
quia non potes unum capillum facere album vel
nigrum. Sit autem sermo vester est est non non, quod autem
amplius est a malo est.
Iacobus epistola prima. ca. v. et fi. Nolite iurare neque per
celum, neque per terram, neque per aliud iuramentum.
Sit autem sermo vester est non, non.
Paulus ad hebreos. ca. vj. homines per maiorem sui
iurant, et omnis controversie eorum finis ad con-
firmationem est iuramentum.
Cato. ca. primo.
Isidorus soliloquiorum libro ij. ca. xxv. Assiduitas
periurii consuetudinem facit. Usus iurandi ad pe-
riurium ducit. Sic in ore tuo est sic. Sic in ore
tuo non est veritas iuramento non indiget. Fir-
ma sit sacramenti tui fides.

De caritate religiosa proximi ad proximum. ca. xviij.

In exodo. ca. ij. Non loquaris contra proximum tuum falsum
testimonium. Non concupisces domum proximi tui
nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancil-
lam, non asinum. Idem. ca. xxj. Si quis per industriam
occiderit proximum suum et per insidias ab altari meo
evelles eum ut moriatur.
Idem. xxij. Advenam non contristabis, neque affliges
eum. Vidue et pupillo non nocebis. Si leseris
eos vociferabunt ad me, et ego audiam clamorem
eorum et indignabitur furor meus. percutiamque vos gladio
et erunt uxores vestre vidue et filij vestri pupilli.
Idem. xxiij. pauperis misereberis in negotio. peregrino
molestus non eris.
In levitico. ca. xxviij. Cum messueris segetes terre tue
non tondebis usque ad solum superficiem terre, nec
remanentes spicas colliges, neque in vinea tua race-
mos et grana decidentia congregabis, sed paup-
eribus et peregrinis carpenda dimittes, neque men-
tiemini, nec decipiet unusquisque vestrum proximum
suum. Non facies calumpniam proximo tuo, nec vi op-
primes eum. Non maledices surdo, neque coram
ceco ponas offendiculum. Si habitaverit advena in
terra vestra, et moratus fuerit inter vos, ne exprobre-
tis ei, sed sit inter vos quasi indigena.
Moyses in deuteronomio. ca. xviij. Non assumas neque
transferas terminos proximi tui quos priores fuerunt
in possessione tua. Idem. xxiij. Non fenerabis
fratri tuo pecuniam neque fruges, neque aliquam aliam
rem, sed alieno fratri aut tuo absque usura id quod
indiget commodabis ut benedicat tibi dominus deus tu-
us in omni tempore tuo. Idem. Ingressus vin-
eam proximi tui comede uvas quantum tibi placuit.
Idem. xxiij. Si intraveris segetem amici tui frange
spicas, et manu conteres. Falce autem non metas.
Cum repetes a proximo tuo rem aliquam quam debet
tibi non ingredieris domum eius ut pignus auffer-
as, sed stabis foris et ille proferet tibi quod habuit.
Idem. xxvij. Maledictus qui transfert terminos
proximi sui. Maledictus qui errare facit cecum in
itinere. Maledictus qui pervertit iudicium advene
et pupilli.
Salomon in proverbiis. ca. x. Universa delicta operit
caritas. Idem. xiij. Qui decipit proximum
suum peccat.
Iob ystor. ca. iiij. Quod ab alio odis tibi fieri vide
ne alteri tu aliquando facias.
Ihesus filius Sirach in Ecclesiastico. ca. xviij. Fenerare pro-
ximo tibi in tempore necessitatis illius. Multi enim
non nequitia non feneraverunt, sed quia fraudari
gratis timuerunt. Vir bonus fidem facit proximo
suo.
Tullius in oratione pro quinto ligario. homines ad deos
nulla re proprius accedunt quam salutem hominibus dando.
Idem scribitur. S. eodem. libro. ca. vij.
Matheus in Evangelio. ca. v. Omnis qui irascitur fratri suo
reus est iudicio. Idem. ca. vij. Quid vides
festucam in oculo fratris tui et trabem in oculo tuo
non vides. Ypocrita eice primum trabem de ocu-
lo tuo, et tunc videbis eicere festucam de oculo